

# EPISTULA LEONINA

## CXXXIV

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXXXIII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM TRICESIMAM QUARTAM (134) !**

## ARGUMENTA

1. PENTECOSTE QUID SIT.....	03-06
2. KARL MAY: Vinnetuus ( <i>Winnetou</i> ) Fabula Latinê reddita (I).....	07-28
3. IOHANNES TERESI: Realismus Petronii Iuvenalis Phaedri.....	29-31
4. SELIMUS SARBELIUS HAGE: Thesis pharmaceutica.....	32-33
5. ECHUS ET VOCES.....	34-36

## LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

### *Cara Lectrix, Care Lector,*

*maximê gaudeo, quod mihi licet **DIE DOMINICĀ PENTECOSTALI** Tibi offerre Epistulam Leoninam **centessimam tricesimam quartam**.*

*Pentecoste Christiana quadamtenus spectat etiam ad omnes homines, quibus cordi sunt linguae alienae, praesertim ad interpretes et translatores. Nam miraculo pentecostali effectum est, ut discipuli Iesu Christi antea sôlo sermone aramaeico locuti subito loquerentur linguis alienis: »coeperunt loqui aliis linguis prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis«. Translatorum autem omnium praestantissimum fuisse **Sanctum Hieronymum** bibliae interpretem, quis est, qui nesciat? Legenda autem aurea nos docet eius viri sanctissimi adiutorem in terris fortissimum fuisse LEONEM, i.e. **LEONEM LATINUM** ! - - -*

*Praeter brevem tractatiunculam pentecostalem haec Epistula Leonina continet textûs **VINNETUI (Winnetou)** fabulae illustrissimae a **Carolo May** scriptae; qui Saxo somniator mirabilis de Indianis, quos ipse numquam cognoverat, tam lepidê scivit narrare, ut fabulae suae legerentur a multis hominum milionibus. - Ceterum te moneo, candida Lectrix, candide Lector, ne legendo praetermittas symbolas **Iohannis Teresi** et **Selimi Sarbelii Hage** scitissimê scriptas.*

*Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 134 tolle et lege et laetare et ... **pancraticê vale et perge mihi favere!***


Medullitus Te salutat  
Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Dominicâ Pentecostes, 4. d. m. Iunii, a.2017



**DIES PENTECOSTES  
ADVENTUS SPIRITÛS SANCTI  
SUPER DISCIPULOS**

**CIRCA A.1180 PINXIT HERRAD VON LANDSBERG  
ABBATISSA ET AUCTRIX ET PICTRIX »HORTI DELICIAMUM«**

## **PENTECOSTE QUID SIT**

**DIES PENTECOSTES** (graecê πεντηκοστή ἡμέρα *pentēkostē hēméra* ‚dies quinquagesima‘) est sollemnitatis christiana. Die temporis paschalis quinquagesimâ, i.e. 49 (undequinquaginta) diebus post Dominicam Paschalem, a christifidelibus celebratur missio Spiritûs Sancti – quae, ut est mysterium et symbolum iconographicum – appellatur aut *Emissio Spiritûs Sancti* aut *Effusio Spiritûs Sancti*.

In Novi Testamenti Actis Apostolorum Spiritus Sanctus narratur e caelo devenisse super apostolos et discipulos, qui ad festum iudaicum שבועות (*Schawuot* i.e. verbatim ‚septimanae‘) celebrandum (τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς ‚diem quinquagesimam‘) Hierosolymae congregati essent (AA 2,1-41). Secundum opinionem Christianorum traditam haec dies dicitur esse dies, quâ ecclesia sit condita. Dies Pentecostes primum anno 130 (centesimo tricesimo) commemoratur esse sollemnitatis christiana.

### **Origo Iudaica**

In Actis Apostolorum 2,1 traditur eventus pentecostalis christianus factus esse die Iudaeorum festo, qui hebraicê dicitur *Schawuot*. Hac sollemnitate celebratur *Tora*, i.e. *Pentateuchus*, libri Moysis quinque, genti Israhelicae patefacta. *Schawuot* significat *septimanas*; quod nomen spectat ad septem septimanas die quinquagesimo post sollemnitatem *Pessach* transactas. Iam ex hac numeratione more Iudaeorum traditâ derivatum est nomen graecum πεντηκοστή sc. ἡμέρα, ex quo exorta est vox theodisca *Pfingsten* (angl. *Pentecost*, fr. *Pentecôte*, hisp. *Pentecostés*, ital. *Pentecoste*, ngr. Πεντηκοστή). *Schawuot* simul est genus *vacunalium*, i.e. dies festus, quo gratiae aguntur pro messe factâ. Nam hōc die festo finitur messis frumenti tritici, quae incohata est die festo *Pessach*.

### **Pentecoste quid valeat in Novo Testamento**

In Actuum Apostolorum capitulo altero narrantur ea, quae Hierosolymâ in urbe experti sunt discipuli Iesu Christi die festo *Schawuot*. Iidem enim discipuli congregati Spiritu Sancto sunt repleti:

## ACTA APOSTOLORUM 2,1-4

Καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς ἦσαν πάντες ὁμοῦ ἐπὶ τὸ αὐτό.	Et cum conplerentur dies pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco.
Καὶ ἐγένετο ἄφνω ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἦχος ὡσπερ φερομένης πνοῆς βιαίας καὶ ἐπλήρωσεν ὅλον τὸν οἶκον οὗ ἦσαν καθήμενοι.	Et factus est repente de caelo sonus tamquam advenientis spiritûs vehementis et replevit totam domum, ubi erant sedentes.
Καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρὸς καὶ ἐκάθισεν ἐφ' ἓνα ἕκαστον αὐτῶν,	Et apparuerunt illis dispertitae linguae tamquam ignis seditque supra singulos eorum,
Καὶ ἐπλήσθησαν πάντες πνεύματος ἁγίου καὶ ἤρξαντο λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις καθὼς τὸ πνεῦμα ἐδίδου ἀποφθέγγεσθαι αὐτοῖς.	Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto et coeperunt loqui aliis linguis prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.

**Festum Pentecostes** est sollemnitas, quâ celebratur adventus Spiritûs Sancti, quem annuntiavit Iesus Christus, simulque temporis paschalis finitio sollemnis („Octava Dominica Paschalis“). Secundum fidem christianam – qualem Petrus homiliâ suâ pentecostali expressit – post paenitentiam sequitur baptisma in nomen Iesu Christi faciendum (AA 2,38).


**Miraculum Pentecostale** significatur facultas mirabilis, quâ secundum Acta Apostolorum discipuli Iesu locuti sunt linguis aliis et cognoverunt linguas alias. Hoc miraculum a theologis explicatur significare missionem ecclesiae, quâ eidem a Christo mandatum est, ut evangelium afferret omnibus hominibus cuiusvis linguae, gentis, nationis.

cfr MARCUS 16,15 Καὶ εἶπεν αὐτοῖς· πορευθέντες εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει. *i.e. Latinê*: Et dixit eis: »Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae«.



**PENTECOSTE**  
**QUID SIT**  
**QUAM BREVISSIME EXPLICAVIT**  
**LEO LATINUS**






## **LEO LATINUS**

**VINNETUUS**  
**FABULA ROMANICA CAROLI MAY**  
QUAM IN LATINUM CONVERTIT  
NICOLAUS GROSS

**WINNETOU**  
**A NOVEL WRITTEN BY KARL MAY**  
TRANSLATED INTO LATIN BY  
NIKOLAUS GROSS

**WINNETOU**  
**EIN ROMAN VON KARL MAY**  
INS LATEINISCHE ÜBERSETZT VON  
NIKOLAUS GROSS



**KARL MAY (1842-1912)**



WINNETOU BAND I. REISEERZÄHLUNG VON KARL MAY. KARL MAYs WERKE - HISTORISCH-KRITISCHE AUSGABE FÜR DIE KARL-MAY-GEDÄCHTNIS-STIFTUNG. Herausgegeben von Hermann Wiedenroth und Hans Wollschläger. Abteilung IV Reiseerzählungen Band 12. 1989 Hoffmanns Verlag AG Zürich (Buchfassung letzter Hand Freiburg 1908). In Latinum convertit NICOLAUS GROSS LEO LATINUS.

## VINNETUUS



***Pierre Brice personam gerens Vinnetui.***

### **Praefatio.**

Cogitanti mihi de Indiano semper in mentem venit Turcus; hoc quamvis mirum videatur tamen fit quodam iure. Licet perpaucis tantum rationibus unus cum altero possit comparari, tamen eo inter se similes sunt, quod de utroque, scilicet de uno minus quam de altero, sententia dicta est definitiva: Cum Turcus vix alius dicatur ac ‘vir aegrotus’, tum Indianus ab omnibus hominibus rerum peritis oportet appelletur ‘vir moriturus’.

Verum – rubra natio est moritura! A Terrâ Ignitâ usque ad lacûs Americae Septentrionalis et ultra ingens indianus valetudinarius

porrectus est, prostratus a Fortunâ immisericordi. Indianus isti Fortunae obnitebatur quam fortissimê, sed frustra; viribus magis magisque deficientibus, corpore denudato nunc ultimum spiritum redditurus non iam movetur nisi interdum micat convulsione, quae indicio est mortis praeproperae.

Estne Indianus ipse in causâ? Estne ipse meritis mortem praematuram?

Si convenit omne vivum iusto vivere, idemque pertinere tam ad universa quam ad singula animantia, Rubris non minus quam Albis est ius exstandi illisque licet postulare, ut sibi permetteretur ratione indolis propriae excolere societatem et civitatem. Contenditur quidem Indianos non esse habiles ad res publicas condendas. Estne hoc verum? Equidem dico: Non est! Sed nolo quid contendere, cum mihi non sit in animo de hac re scribere doctam commentationem.

Albis fuerat tempus, quo excolerentur secundum naturam suam; qui paulatim et gradatim e venatoribus pastores, inde agricolae et industriales facti sunt; Rubris autem tantum temporis non restitit, quia eis non erat concessum. A primo et infimo gradu, id est a gradu venatorum, iisdem saltus faciendus est tamquam gigantêus, quo assequantur gradum supremum. Albi hoc a Rubris postulantes non intellexêrunt Rubros hac ratione delabentes gravissimê violatum iri.

Lêge crudeli ab infirmiore cedendum est fortiori: quae cum totâ in rerum naturâ terrestri vigeat et valeat, necesse est concludamus hanc crudelitatem aut veram non esse aut more Christiano mitigari posse. Nam sapientia aeterna, quâ haec lex data est, eadem est caritas aeterna. Licetne ergo contendere talem mitigationem factam esse respectu gentis Indianae?

Indiani primos Pallidos (quos dicunt) sibi obvios factos non solum hospitaliter recepêrunt, sed ferê divinâ cum veneratione. Quam mercedem inde accepêre? Sine controversiâ eorum ipsorum terra fuerat, quam incoluerant; ablata est iis. In eo quanta flumina sanguinis fluxerint quantaque immanitates perpetratae sint, omnis scit, qui historiam legerit Conquistorum, quos vocant. Postea agebatur ad

exemplum eorundem. Albi veniebant ore mellifluo, sed cingulis imposuerant cultros acutos, manibus sclopeto caricata. Promittebant pacem atque caritatem, dabant odium atque sanguinem. Rubris erat cedendum, gradatim, magis magisque recedendum. Interdum iis concessa sunt iura aeterna, quae dicebantur, in territorio ipsorum, ex quo iam paulo post etiamnunc, etiamnunc expulsabantur. Terra Rubrorum dicebatur emi, sed iisdem solvebatur aut nihil aut merces mutandae nullius pretii, quibus ūti non possent.

At eo diligentius iisdem afferebatur venenum clandestinum, quam vocabant aquam ignitam, praeterea variolae et alii morbi multo peiores et taediosiores, quibus totae gentes eradicarentur, toti vici exhaurirentur. Rubris ad bonum ius suum provocantibus respondebatur plumbo et pulvere pyrio, ut iterum iis cedendum esset armis Alborum efficacioribus. Inde Indiani irâ incensi singulos Pallidos sibi obvios factos ulciscebantur. Quo effectum est, ut iisdem caedes inferrentur ingentes. Ita Indiani, qui originaliter fuerant venatores superbi, audaces, fortes, veraces, sinceri, amicis semper fideles, facti sunt tenebriones mendaces et suspiciosi. In causâ huius mutationis minimê ipsi sunt, sed Albi.

Quo venerunt armenta equiferorum, e quibus olim Indiani sumpserant equos ad equitandum idoneos? Ubi inveniuntur bisontes innumeri pratarias incolentes, quibus Indiani nutriebantur? Quo cibo Indiani hodie vescuntur? Num farinâ atque carne, quae iis afferuntur? Ecce, quantum gypsi aliquarumque rerum pulchrarum insunt huic farinae; quis hac fruatur? Si genti cuidam centum boves pinguissimi promissi sunt, iidem in itinere mutantur in duas tresve veteres vaccas macilentas, e quibus vix vultur aliqui frustum evellat. An Rubri vivant agris colendis? Licetne messem sperare legum expertibus, qui magis magisque submoveantur, quibus non relinquatur sedes certa?

En, quantâ specie prius fuerunt, cum volaverunt super latam zavanam iubis equiferorum circumfluentibus! Heus, quam miser atque flebilis nunc est aspectus eorum, qui exiguis pannis induti vix corpora velare possint. Ii, qui olim pollenti robore pugnis aggressi sunt horribiles ursos griseos, nunc quasi canes scabiosi in angulis circumvagantur famelici carunculas mendicaturi sive – surrepturi!

Eheu, Indiani in morbum incidêrunt, ne dicam eosdem morituros esse. Nosmet ipsi misericordiâ affecti quasi astamus miserorum oculos clausuri. Grave est astare morituris, multo gravius autem toti genti moriturae. Tum animis nostris multae, permultae quaestiones obversantur, praesertim haec: Quid haec gens praestare potuisset, si ei concessa essent spatium et tempus, quibus excoleret vires et ingenium suum? Qualia genera cultûs civilis homines amittent hac natione extinctâ? Haec gens moritura non passa est assimilari, cum esset gens indolis verê propriae. Eratne itaque interimenda, nonne potest servari? Bisontibus, ne emoriantur, in viridario nationali Montanae et Vaeomingiae asylum conceditur. Quidni etiam Indianis olim terrae possessoribus legitimis conceditur sedes, ubi securê vivant et mentes excolant?

Sed quid prosunt tales quaestiones coram morte inevitabili! Quid iuvant opprobria, ubi non iam adiuvari potest! Restat, ut lamenter; nihil mutare possum. Restat, ut lugeam; nullum mortuum ad vitam revocare possum. Egone? Ita, ego! Nam cognovi Rubros spatio annorum multorum. Unus autem eorum clarus altus magnificus mihi medullis inclusus est, eidem totus deditus sum animo ac studio. Qui optimus, fidelissimus, liberalissimus omnium amicorum meorum, cum verus esset particeps gentis suae, ita periit ut ea, telo hostis pernicioso e vitâ ereptus. Hunc hominem cum magis dilexerim quam omnes alios, etiam hodie diligo nationem morituram, cuius hic fuit filius liberalissimus. Dedissem vitam meam, ut eius vitam servarem, ita, ut ipse mei causâ centies se commiserat periculo mortis. Hoc mihi non permissum erat; periit eo quod, ut solebat, amicos servaverat. At ne sit omnis mortuus; vivat his foliis ita, ut vivit in animo meo:

**V i n n e t u u s**, magnus dux Apassionum.

Huic hôc loco exacturus sum monumentum bene meritum.

Lector autem, si hoc mente considerans iustam sententiam tulerit de gente, cuius specimen optimum ille dux dedit, sciat me accepisse laboris fructum uberrimum.

**A u c t o r .**



## CAPITULUM PRIMUM

### De neocerote.

Care Lector, scisne, quid significet verbum *neocerotis*? - - -

Convicium verê contumeliosum omnibus, quibus dicitur. Neoceros spectat ad cornicella, id est cornicula sensoria nondum satis exculta. Ergo neoceros est tirunculus advena terrae adhuc imperitus, cui, ut dicitur, cautê erigenda sunt cornicula, ne irrideatur.

Neoceros est homo, qui non e sellâ surgit, quamvis domina in eâdem sit consessura; qui salutatur patremfamilias, antequam caput inclinavit coram dominâ dominulâque; qui in sclopeto caricando embolum fistulae immittit inversum aut sclopeto in anteriore parte caricando primum impellit obturamentum, deinde glandem, tum pulverem pyrium. Neoceros non loquitur linguâ anglicâ nisi putidê et ornatê; taedet eum sermonis occidentariorum, immo idiomatis barbarorum provincialium; quod non venit ei in mentem, eo minus in ôs. Neoceros procyonem lotorem putat esse didelphidem et nigritam mixticiam satis bellam putat esse quartanariam. Neoceros fumat sigarella et contemnit dominum tabacum exspuentem. Neoceros ab Hiberno alapatus currit ad iudicem accusaturus, cum verus occidentarius furciferum statim ibidem telo percutiat. Neoceros vestigia gallopavonis putat vestigia ursi, celocem procêrum atmoploeon putat Mississippianum. Neoceros verecundatur caligas suas sordidas genibus convectoris imponere et sorbitionem suam dehaurire anhelitu bisontis depereuntis. Neoceros puritatis causâ in pratariam secum apportat decem libras saponis atque spongiam lautoriam, quae habet magnitudinem cucurbitae giganteae; praeterea secum affert pyxidem magneticam, quâ tertio aut quarto iam die omnesvis directiones indicentur exceptâ directione septentrionali. Neoceros, postquam sibi notavit octingenta vocabula Indiana, primum in Indianum incidens animadvertit se haec notata involucro domum misisse epistolâ relictâ. Neoceros, cum pulvere pyrio empto primum telum iaculari vult, animadvertit sibi venditum esse carbonem molitum. Neoceros, cum per decem annos astronomiae studuerit pernoscendae, per tantundem spatium temporis aspectat caelum stellatum nesciens quota hora sit. Neoceros cultrum venatorium ita cingulo imponit, ut corpore inclinato impungatur femur suum. Neoceros, cum in Feris Occidentalibus ignem accenderit tantum, ut

flammae attingerent arborum culmina, ab Indianis inventus eorumque telis interfectus miratur, quomodo fieri potuerit, ut inveniretur. Neoceros quidem est neoceros... talis autem neoceros tunc temporis ego quoque fui. At ne putes mihi persuasum fuisse aut me praesagivisse hoc nomen contumeliosum convenire ad me! Minimê, nam hoc quidem est neocerotis maximê proprium, quod putat ceteros omnes esse potius imperitos quam se ipsum.

E contrario putavi me esse hominem eximiê prudentem peritumque, cum, ut dicitur, nullum examen timens disciplinis studissem pernoscendis! Meum autem animum juvenilem tum fûgit vitam esse scholam propriam atque veram, cuius discipuli omnibus diebus horisve examinarentur coramque Providentiâ divinâ deberent examina superare.

Cum in patriâ incommodius mecum actum esset necnon innatus mihi esset quidam impetus agendi, pulsus sum ad Civitates Unitas, ubi iuvenis industrius tum multo melius et commodius victum sibi quaerere potuit quam nunc. Cum in civitatibus orientalibus bene vitam sustentare potuissem, tamen impulsus sum ad occidentalia petenda. Tum hôc, tum illô modo operatus tantum merueram, ut rebus comparatis bono animo Ludovicopolin advenirem. Ibi feliciter mihi contigit, ut invenirem familiam germanicam, in quâ officio fungerer magistri domestici. Quâcum familiâ conversabatur Dominus Henricus, homo sui generis et faber sclopetarius. Qui arti suae studiosissimê deditus facultate suâ prisco more gaudebat.

Hic vir erat verê clemens et humanus, quamvis videretur esse indolis contrariae, quia exceptâ familiâ commemoratâ nullo cum homine conversabatur et cum ipsis suâ operâ utentibus tam asperê atque importunê agebat, ut ad se non venirent nisi propter bonitatem eius mercium. Henricus enim amiserat uxorem filiosque fato quodam crudeli, de quo numquam locutus est. E nonnullis autem verbis eius conclusi illos interfectos esse aliquâ in incursione repentinâ. Quâ calamitate mores eius exasperati erant: nescivit fortasse se esse verum rupicem. At eius medullam esse bonam clementemque ex eo apparet, quod saepe vidi oculos eius umectantem, cum narrabam de patriâ deque meis, quibus toto corde addictus eram et sum.



Cur hic senex me, iuvenem alienum, tantopere diligeret, nescivi, usque dum mihi diceret. Ex quo adveneram, hic saepius veniebat quam antea, audiebat institutionem, eâdem autem finitâ me occupavit et denique me invitavit, ut se invitarem. Cum tale commodum nemini praeter me tributum esset, câvi, ne male abuterer hac permissione. Haec autem modestia ei minimê placere videbatur; recordor adhuc eum quodam vespere mihi venienti vultum iratum expressisse et voce probrosâ salutationi meae vespertinae non respondentem me recepisse:

»Ubi heri fuisti, Domine?«

»Domi«.

»Et nudius tertius?«

»Etiam domi«.

»Noli mihi verba dare!«

»Verum est, Domine Henrice«.

»Vah! Tales aves virides, qualis tu es, non remanent in nido; rostra sua impingere solent quoquoversus, excepto eo loco, quo iis convenit esse«.

»Quonam loco mihi convenit esse, si permittis, ut hoc dicam?«

»Hic, apud me! Iam diu ex te aliquid quaerere volui«.

»Quidni quaesivisti?«

»Quia nolui. Intellextin'?«

»Quando vis?«

»Fortasse hodie«.

»Ergo age« inquam, »quaeras«. Sic illum adhortatus consedi in scamno cochleari, in quo operabatur.

Ille stupefactus faciem meam aspectans caput quassans: »Sanê quidem! Mene talem neocerotem primum rogare de permissione, si cum eo loqui velim!«

»Neocerotemne?« respondi valdê laesus fronte caperratâ. »Opiner, Domine Henrice, te hoc verbum inconsulto edidisse!«

»Noli tibi nimium placere, Domine! Equidem consulto locutus sum; tu es neoceros quantuscumque! Argumenta librorum bene tenes memoriter, hoc verumst. Mirum est, quantum vobis transmarinis discendum sit! Hic iuvenis certo scit, quantum distent stellae ab hōc loco, quid rex Nebucadnezarus lateribus inscripserit, quantum pendat aer, quem non possit videre! Quae cum sciat, sibi videtur homo sagax esse! At nasum si vitae infixeris, inquam, per quinquaginta annos vitae

nasum infixeris : tum – fortasse quidem – experieris, qualis sit recta prudentia! Id quod nunc scis, nihil est – omnino nihil est. Id autem, quod usque nunc facere scis, multo minus est. Ne sclopetare quidem scis!«

Haec dixit valdê contemptoriê definitêque, quasi rem certissimê sciret.  
»Mene nescire sclopetare? Hem!« subridens respondi. »Haecine quaestio est, quam mihi proponere voluisti?«

»Ita, haec est. Age respondeas!«

»Bonum sclopetum si mihi tradideris, respondebo, non antea«.

Tum, cum fistulam sclopetariam tractatam deposuisset, surrexit, accessit ad me oculis mirantibus me aspectans, vocavit:

»Sclopetum tradere, Domine? Minimê in mentem mihi veniet, minimê! Mea sclopetata non tradentur nisi talibus, quibus honor mihi fiat!«

»Talis sum« respondi.

»Iterum me aspexit, e latere quidem, iterum consedit, coepit denuo fistulam tractare, mussitans:

»Qualis neoceros! Qui irritat me audaciâ suâ!«

Indulgens ei, quem bene novissem, sigarum protractum adussi. Tum per quadrans horae silentium fuit inter nos. Diutius autem Henricus non passus est silere: fistulam luci protendens et perspicuens adnotavit:

»Sclopetare enim difficilius est quam stellas aspicere aut legere Nebucadnezari lateres veteres. Intellextin'? Umquamne sclopetum manibus tenuisti?«

»Puto«.

»Quando?«

»Iam pridem et saepe«.

»Iamne collineasti manuclamque pressisti?«

»Ita«.

»Percussistin'?«

»Scilicet!«

Tum fistulam probatam celeriter demisit, iterum me aspexit:

»Rectê, percussisti, scilicet, sed quid?«

»Scilicet destinatum«

»Quid? Dic sodes, vin' mihi verba dare?«

»Volo dicere, nolo verba dare: verum est«.

»Abi in malam crucem, Domine! Te non habeo perspectum. Persuasum mihi est te deerratum fuisse a muro quamvis viginti

cubita alto et quinquaginta cubita longo. Tamen vultum componis tam gravem et confidentem, ut bilis mihi moveatur. Non sum puer, quem instituis, intellexin'? Talis neoceros libris helluans, qualis tu es, contendit se scire sclopetare! Contendit se taetros libros Turcicos, Arabicos aliosque perscrutum vacasse sclopetando! Age de clavo deponas vetus illud sclopetum genaeque apponas quasi collineans! Est enim bombardâ ursicidalis, optimum omnium, quae umquam manibus tenui. Esne tam robustus?«

Non respondi ei, sed arreptis inferiore eius iaccâ bracarumque iuncturâ sustuli eum brachio dextro.

»Babae!« exclamavit. »Mitte me! Etiam fortior es quam Vilelmulus meus«.

»Tuusne Vilelmulus ? Quis est hic?«

»Qui fuit filius meus, qui - - - omittamus hoc! Mortuus est, sicut ceteri quoque. Videbatur fieri vir probus, sed me absente unâ cum illis exstinctus est. Tu ei similis es staturâ, sunt ferê iidem oculi, eadem oris nota; itaque ego tibi – heus, quid hoc ad te!«

Henricus vultum expressit tristissimum; tum autem, postquam faciem manu perstrinxit, voce alacriore loqui perrexit :

»At Domine, valdê doleo, quod adversus robur tuum iam vehementer libris incubuisti. Corpus tibi fuit exercendum!«

»Exercui«.

»Verumne?«

»Verum«.

»Esne pugilatus?«

»Pugilatio apud nos non est in usu. Sed particeps sum gymnastices et luctationis«.

»Equitasne?«

»Equito«.

»Digladiarisne?«

»Fui magister gladiatorum«.

»Noli gloriari!«

»Vin' me probare?«

»Gratias; suffecit proba modo facta! Laborandumst mihi. Iterum considas!«

Revertit ad scamnum cochleare, et ego idem feci. Postea parcê inter nos collocuti sumus; Henricus videbatur cogitare de aliquâ re gravi. Subito capite e scamno levato me interrogavit:

»Tractastin' mathematica?«

»Quae in deliciis mihi fuerunt«.

»Etiamne arithmetica, geometria?«

»Scilicet«.

»Artemne gromaticam?«

»Atque etiam libentissimê. Saepissimê foris ambulabam groma adhibens, quamvis mihi non esset necessarium«.

»Scisne metiri, verê metiri?«

»Scio. Particeps fui mensurationum et planitierum et altitudinum, etiamsi non contendo me esse gromaticum eruditum«.

»Bene, optimê, optimê!«

»Quare hoc quaeris ex me, Domine Henrice?«

»Quia est mihi causa quaerendi. Intellextin'? Nondum necesse est te hoc scire; certê accipies. Antea, hem, antea mihi experiendumst, num scias sclopetare«.

»Ergo proba me!«

»Probabo te; ita, probabo; ne dubita! Quando cras mâne incohabis institutionem?«

»Horâ octavâ«.

»Ergo venias ad me horâ sextâ. Eamus sursum ad sclopetatorium, ubi instruam sclopetaria mea«.

»Quare tam maturê?«

»Quia nolo exspectare diutius. Valdê cupio demonstrare te esse neocerotem. Sed sufficient haec; alia mihi agenda sunt multo graviora«.

Videbatur perfecisse fistulam sclopetariam; e cistâ sumpsit ferramentum polygonum, cuius angulos coepit limare. Vidi omnes areas ferramenti esse perforatas.

Tum attentê laboravit, ut videretur oblîtus esse praesentiam meam. Oculi eius nituerunt: vidi eum opus suum interdum quodam cum amore considerare. Henricus hoc ferramentum magni facere manifestum erat. Cupivi audire, quare tanti fecerit: itaque eum interrogavi:

»Eritne haec res pars sclopeti, Domine Henrice?«

»Erit«, respondit, quasi sensim recordaretur me adhuc adesse.

»Sed ignoro rationem sclopetariam, cuius sit talis pars«.

»Quod tibi credo. Fiet demum. Fiet ratio Henriciana«.

»Ah, estne nova inventio?«

»Est«.

»Ergo veniam peto, quod interrogavi! Scilicet hoc secretum esse«.



**Sclopetum Henricianum (*Henry-Stutzen*)**

Diutius omnia foramina perspiciebat, ferramentum in diversas directiones torsit, idemque compluries attinuit ad aperturam posteriorem fistulae, quam antea deposuerat dixitque denique:

»Ita, est secretum; sed confido tibi, quia scio te esse taciturnum, quamvis sis neoceros verus et genuinus; ideo tibi dicam, quale sclopetum hoc sit evasurum. Fiet polybolum, cui insint emboli viginti quinque«.

»Hoc fieri non poterit!«

»Opprime ôs! Non tam stultus sum, ut rem tibi proponam, quae fieri non possit«.

»Sed necessariae tibi essent thecae ad embolos viginti quinque recipiendos!«

»Sunt mihi tales!«

»Quae essent tam magnae tamque inhabiles, ut essent molestae«.

»Una tantum theca sclopeto inest; quae est portabilis neque est molesta. Hoc ferramentum est theca«.

»Hem! Omnino quidem ignoro disciplinam tuam; sed quid de calore? Nonne fistula nimis calefit?«

»Hoc ei non venit in mentem. Qualis sit fistula et quomodo tractetur, non pandam. Ceterum, estne semper necessarium viginti quinque omnes ictûs unum post alium êdere?«

»Vix necesse est«.

»Attende! Hoc ferramentum fiet sphaera, quae moveatur excentricê; viginti quinque foraminibus totidem insunt emboli. In omni ictu êdendo sphaera promovetur, ut proximus embolus indatur fistulae. Per multos annos aestuabam de hac re; non contingebat; nunc autem videtur succedere. Iam nunc fama mihi est boni fabri sclopetarii; hôc

sclopeto perfecto clarus, praeclarus fiam et magnam pecuniam accipiam«.

»Additâ malâ conscientîâ«.

Aliquamdiu mirans me aspexit, deinde interrogavit:

»Malâne conscientîâ? Quatenus?«

»Putasne homicidam non morderi conscientîâ?«

»Babae! Vin' dicere me esse homicidam?«

»Nondum es«.

»An me factum iri homicidam?«

»Fies, nam homicidio subvenire tam malum est quam homicidium committere«.

»Abi in malam crucem! Cavebo, ne homicidio subveniam«.

»Non singulo quidem, sed multiplici«.

»Quidnam? Non intellego verba tua«.

»Si sclopetum construxeris, quo vicies quinquies sclopetetur, et cuius nefario dederis, mox illuc in pratariis, silvis, saltibus fiet caedes immanis; miseri Indiani telis necabuntur quasi canes latratores et paucis annis post nullus Indianus restabit. Visne tantam culpam praestare?«

Defixis oculis me intuitus non respondit.

»Si«, perrexi »omnis homo pecuniâ emere potuerit tale sclopetum periculosum, sanè brevi tempore aliquot milia sclopetum huiusmodi vendes, sed equiferi et bisontes extirpabuntur et cum iisdem omnia genera ferarum, quarum carne Rubri egeant. Sescenti venatores cadaverum tuo polybolo armati petent occidentalia. Fluent tanta flumina sanguinis hominum atque bestiarum, ut mox regiones citra atque ultra Montes Saxosos sitae omnibus animantibus vacuefiant«.

»Malum!« nunc ille exclamavit. »Verumne brevi demum ante venisti e Germaniâ?«

»Verum«.

»Anteâne numquam hîc fueras?«

»Numquam«.

»Ergo verus es neoceros. Tamen iste neoceros tam vehementer gloriatur, quasi sit abavus omnium Indianorum et ex milibus iam annorum hîc vixerit et adhuc vivat! Homulle, ne umquam tibi videaris me calefacere! Etiamsi omnia essent talia, qualia tu dicis, numquam mihi in mentem veniret condere officinam sclopetariam. Vir solus sum voloque esse; non libet molestari centum vel pluribus operariis«.

»Sed nonne annuntiare poteris diploma inventionis idque vendere, ut pecuniam accipias?«

»Quod tranquillê exspecta, Domine! Usque nunc semper habui ea, quibus egerem, cogitoque me etiam sine diplomate inventionis non inopiâ laboraturum esse. Nunc autem abi domum in hodiernum diem! Non cupio audire avem pipiantem, qui nec sibilabit nec cantabit antequam pennas habuerit«.

Minimê mihi in mentem vênit offendi his conviciis, cum sat bene scirem, quo ille esset ingenio et quid sentiret. Coeperat me diligere, ut certê paratus esset ad me, quantum poterat, sustentandum atque adiuvandam. Manu oblatâ firmêque pressâ abii.

Non praesagivi, quantum hic vesper ad me valiturus esset, nihiloque magis mihi in mentem vênit illam ponderosam bombardam ursicidalem et polybolum illud nondum perfectum tanti valitura esse ad vitam meam. Sed gavisus sum de proximo mâne, nam, cum iam multo et bene sclopetassem, persuasum mihi fuit me coram vetere amico meo examen bene superaturum esse.

Advêni eum sextâ horâ matutinâ. Ille me iam exspectaverat manumque mihi porrectâ: »Salve, Domine! Vultus tuus est satis confidens! Putasne murum, de quo heri locutus sum, a te ictum iri?«

»Spero«.

»Bene, statim videamus. Ego tecum afferam sclopetum levius, tu tecum feras bombardam ursicidalem; equidem tantum onus nolo portare«.

Henricus sibi iniecit leve sclopetum fistulae duplicis, ego sumpsi vetus sclopetum, quod ille noluit portare. Cum sclopetatorium advenissemus, utroque sclopeto caricato primum ille leviole duos ictûs edidit. Tum ordo me vocavit ad bombardam ursicidalem adhibendam. Cum nondum novissem hoc sclopetum, primo ictu non percussi nisi marginem nigredinis; secundus ictus melius quadravit; tertiâ glande icta est ipsa nigredo media omnesque glandes sequentes transmissae sunt per foramen primâ glande factum. Henricus magis magisque stupebat; probandum mihi erat etiam levius sclopetum; cum hoc mihi eodem modo successisset, denique ille exclamavit:

»Aut diabolo obsessus es aut natus es veterator occidentalium. Numquam videram neocerotem tam bene sclopetantem!«





**CAROLUS MAY IPSISSIMUS  
PERSONAM GERENS VETERIS CATABOLOCHIRIS (*Old Shatterhand*)  
BOMBARDA URSICIDALI (*Bärentöter*) INSTRUCTUS**

Lepidam hanc imagunculam aspectanti in mentem mihi veniunt verba illa iocosa quae a Macrobio dicuntur Cicero fecisse de Lentulo genero suo staturâ brevissimâ praedito:

*Cicero cum Lentulum generum suum, exiguae naturae hominem, longo gladio adcinctum vidisset: Quis, inquit, generum meum ad gladium alligavit? (Macrobius, Saturnalia II.2.3)*

»Diabolo non sum obsessus, Domine Henrice«, ego inquam ridens,  
»tale foedus absit a me«.

»Tum munere, immo officio tibi mandatum est, ut fias veterator  
occidentalium. Nonne libet?«

»Quidni!«

»Bene, videbimus, quid fieri possit de neocerote. Ergo scis quoque  
equitare?«

»Aegrê«.

»Aegrêne? Hem! Ergo non tam bene equitas quam sclopetas?«

»Vah! Quid est equitare? Difficillimum est equum inscendere. Supra  
si sedero, nullo equo deiciar«.

Henricus me aspexit investigans, utrum locutus essem serio an iocosê;  
ego vultum expressi perquam impavidum, ut diceret:

»Verêne sic sentis? Vin' iubam equi apprehendere? Tum falleris.  
Rectê dixisti: Difficillimum est inscendere, nam hoc tibi ipsi  
faciendumst; multo facilius est devenire: Hoc enim fit multo, permulto  
celerius, quia efficitur a caballo«.

»Equidem si inscendero, caballus hoc non efficiet!«

»Itane? Videamus! Libetne rem probare?«

»Libet«.

»Ergo veni! Septima hora est, restat tibi una hora. Veniemus ad  
Iacobellum Kornerum, mercatorem equorum, cui est equus scutulatus:  
Qui equus te curabit«.

In urbem reversi nos contulimus ad mercatorem, ubi erat aula  
equitandi ampla stabulis circumdata. Kornerus ipse advênit e nobis  
quaesiturus, quid vellemus.

»Hic dominus iuvenis contendit se a nullo equo ex ephippio eici«,  
respondit Henricus. »Quid tibi videtur, Domine Kornere? Permittisne  
eum eniti in tuum equum scutulatum?«

Mercator, cum oculis me probavisset, contentus annuens respondit:

»Compages eius ossium videtur esse sat bona flexilisque; ceterum  
iuvenes rarius cervicem frangunt quam seniores. Non recuso, quin  
dominus probet equum scutulatum«.

Iussu eius post aliquantum temporis duo agasones e stabulo eduxerunt  
equum, cui ephippium erat impositum. Qui inquietissimus cupiebat  
vinculum abrumpere. Vetus Dominus Henricus de me sollicitans  
rogavit, ut desisterem a conatu; sed primum minimê timui, deinde

putavi in hac re nunc agi famam meam. Loris acceptis et calcaribus alligatis equo refragante post nonnullos conatûs irritos me in epphippium subieci. Vix supra sêdi, tum agasones properê prosiluerunt, equus autem omnibus pedibus sublatis primum salutit sursum, deinde in obliquum. Retinui epphippium stapiis nondum adhibitis, quibus properê pedes indidi. Vix hoc factum est, tum caballus coepit recalcitrare; cum hoc irritum esset, accucurrit parietem, ut me destringeret; loris autem celeriter a pariete remotus est. Deinde inter equum et equitem facta est mala pugna mihi ferê periculosa. Enixus sum quam maximê - quantum illo tempore potui parum habilis et exercitus ad equos domandos. Tandem vi crurum victor evasi. Descendenti mihi pedes tremuerunt; sed equus sudore madens egit magnas spumas graves; nunc omni nisui impetuique mei oboedivit.

Mercator autem coeperat sollicitari de equo suo; curavit eum tegimentis involvendum lentêque circumducendum; tum ad me versus:

»Hoc non putaram, iuvenis; putaram te iam primo saltu deiectum iri. Scilicet nullam pecuniam solvendam esse a te. Gratum mihi facies, si revenies hanc beluam prorsus domiturus. Decem dolariis non parcam, nam, cum non sit equus vilis, lucrum faciam, si didicerit oboedire«.

»Libenter faciam, si tibi placebit« respondi.

Henricus, postquam descendi, nihil dicens caput movens me semper aspectaverat. Nunc manûs complodens exclamavit: »Hic neoceros est neoceros extraordinarius aut potius neoceros inusitatus! Non deiectus est in harenam, sed equum premendo ferê interfecit! Quis te talia instituit, Domine?«

»Forte fortunâ pedibus meis interpositus est semiferus equus Hungaricus, qui neminem passus erat sibi insidere. Domui eum paulatim et gradatim, sed in eo me commisi paene periculo mortis«

»Mitte tales creaturas. Praefero veterem meam sellam culcitrosam, quae non refragatur me sibi insidere. Veni, abeamus. Vertigine prorsus correptus sum. Sed non gratis te vidi sclopetantem equitantemque; ne dubita!«

Domum iimus, ille ad suam, ego ad meam habitationem. Hôc die et duobus sequentibus diebus non apparuit neque mihi fuit occasio eum visitandi; sed die sequente post meridiem ille vênit ad me; scivit me tum vacare.

»Nonne libet mecum ambulare?« Henricus interrogavit.

»Quo?«

»Ad dominum, qui te noscere cupiat«.

»Quare me?«

»Hoc patet: Quia nondum vidit neocerotem«.

»Ergo tecum ibo, ut ille nos noscat«.

Henricus illo die vultum expressit tam vafrum atque negotiosum, ut concluderem eum aliquid inopinatum oblaturum esse. Ambulabamus per nonnullas vias stratas, cum me duxit in grapheum, ad quod a stratâ duxit lata ianua vitrea. Tum celeriter adiit, ut litteras aureas quadrae vitreae inscriptas legere non iam possem, sed visus mihi sum legisse verba 'grapheum' et 'gromaticum'. Mox apparuit me non errasse.

Ibi sederunt tres domini, qui eum magnâ cum comitate, me autem cum urbanitate et curiositate manifestâ receperunt. In tabulâ positae erant adumbrationes et chartae geographicae; inter eadem varia instrumenta mensoria. Fuimus in grapheo gromatico.

Quo consilio amicus meus grapheum mecum iniisset, nescivi; nihil mandavit, nihil requisivit; colloquii tantum causâ videbatur venisse. Mox autem coeptum est alacrius disputari, denique etiam de instrumentis ibi positis. Hoc mihi placuit, quia de his melius colloqui scivi quam de Americanis rebus et conditionibus mihi nondum nôtis.

Henrici illo die magni interesse videbatur audire de arte gromaticâ; cupivit omnia scire egoque libenter concessi me iam affinem fieri colloquio, ut tandem semper mihi esset quaestionibus respondendum, usus instrumentorum explicandus, confectio chartarum et adumbrationum describenda.

Profecto eram neoceros, nam non animadverti, quid illi sibi proposuissent. Demum postquam exposui, quid valerent et quomodo inter se differrent receptio coordinatis faciendae, methodi polaris et diagonalis et repetitoria, mensuratio perimetrica, triangulatio trigonometrica, vidique tres dominos clam annuere sclopetario, rem animadverti et e sellâ surrexi, ut Henrico ostenderem me velle abire.

Ille non recusavit etiamque maiore cum comitate dimissi sumus quam eramus recepti.

Cum longius abiissemus, quam ut videremur e grapheo, Henricus constitit manumque umero meo impositâ dixit vultu laetissimo:

»Domine, homo, iuvenis, neoceros, quantum gaudium mihi paras! Immo gloriator de te!«

»Quare?«

»Quia etiam superasti et meam commendationem et expectationem horum hominum!«

»Commendationemque? Expectationemque? Non intellego verba tua«.

»Necesse non est te nunc intellegere. Res autem facillima est intellectu. Nuper contendisti te aliquid scire de arte gromaticâ. Cum vellem experiri, num hoc vaniloquium fuisset, adduxi te ad illos dominos mihi bene nôtos, ut te degustarent. Dedisti autem gustum optimum atque honestissimum«.

»Mene vaniloquium êdere? Domine Henrice, si me aptum putas ad talia facienda, te non iam visitabo!«

»Fac ne irridearis! Non me senem orbabis laetitiâ te videndi. Recordare te similem esse filio meo! Fuistine fortasse apud mercatorem equorum?«

»Cottidie mâne«.

»Aptusne evadet hic equus?«

»Certê. Sed dubito, quin equus empturum tam bene laturus sit quam me. Ad neminem assuefactus praeter me ceteros omnes deiciet«.

»Laetor, laetor vehementer; ergo equus vult, ut videtur, neminem ferre nisi neocerotem. Fac venias mecum per hanc viam secundariam! Nôvi ibi sitam esse illustrem cauponam, ubi perbene comedatur etiamque bibatur. Celebrandum erit examen a te hodie tam eximiê superatum«.

Non perspexi Henricum; mores eius erant tamquam permutati. Ille, qui esset homo solus et modestus, comedere voluit in cauponâ! Etiam vultus eius mutatus erat; vox erat clarior et laetior quam alias. Attulerat verbum examinis. De hâc verbo miratus eram; sed fortasse fuit minimi momenti. Ex hâc die cottidie me visitans tractavit tamquam amicum, quem ne mox amitteret timeret. Sed non concessit,

ut gloriarer hōc commodo; nam semper paratus erat ad animum meum  
supprimendum voce fatali, qui fuit neoceros.



**FABULAM**

**C.T. »VINNETUUS (*Winnetou*)«**

**A CAROLO MAY**

**CONFICTAM**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**

**Exornatissime ac doctissime Director,**

scriptum meum, c.t. **“De realismo Petronii, Iuvenalis et Phaedri – disquisitio Iohannis Teresi”**, Vobis subicere volo.

Si non exstant menda et si insuper hoc Vobis placet, potestis benigne more solito id in lucem edere “Epistula Leonina” Ephemeridis.

Gratus sum Vobis pro pulcherrimo libello confecto, cui insunt scripta mirabilia.

Salutem Vobis dico,

*Johannes Teresi*

**De Realismo Petronii, Iuvenalis et Phaedri**

Argumenta a Iohanne Teresi conquisita

*In Satyricon libris Petronii Agamemnon loquitur de suae aetatis corrupta eloquentia, i.e. de genere cultus civilis depravati:*

“Nunc alio genere furiarum declamatores inquietantur, qui clamant: haec vulnera pro libertate publica excepi; hunc oculum pro vobis impendi: date mihi ducem, qui me ducat ad liberos meos, nam succisi poplites membra non sustinent?”

Haec ipsa tolerabilia essent, si ad eloquentiam ituris viam facerent. Nunc et rerum tumore et sententiarum vanissimo strepitu hoc tantum proficiunt, ut cum in forum venerint, putent se in alium orbem terrarum delatos. Et ideo ego adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex his, quae in usu habemus, aut audiunt aut vident, sed piratas cum catenis in litore stantes, sed tyrannos edicta scribentes, quibus imperent filiis ut patrum suorum capita praecidant, sed responsa in pestilentiam data, ut virgines tres aut plures immolentur, sed mellitos verborum globulos at omnia dicta factaque quasi papavere et sesamo sparsa.

Qui inter haec nutriuntur, non magis sapere possunt, quam bene olere, qui in culina habitant. Pace vestra liceat dixisse, primi omnium eloquentiam perdidistis. Levibus enim atque inanibus sonis ludibria quaedam excitando effecistis, ut corpus orationis enervaretur et caderet. Nondum iuvenes declamationibus continebantur, cum Sophocles aut Euripides invenerunt verba quibus deberent loqui.

Nondum umbraticus doctor ingenia deleverat, cum Pindarus novemque lyrici Homericis versibus canere timuerunt. Et ne poetas (quidem) ad testimonium citem, certe neque Platona neque Demosthenen ad hoc genus exercitationis excessive video. Grandis et ut ita dicam pudica oratio non est maculosa nec turgida, sed naturali puchritudine exsurgit. Nuper ventosa istaec et enormis loquacitas Athenas



ex Asia commigravit animosque iuvenum ad magna surgentes veluti pestilenti quodam sidere affilavit, semelque corrupta regula eloquentia stetit ed obmutuit. Ad summam, quis postea Thucydidis, quis Hyperidis ad famam processit? Ac ne carmen quidem sani coloris enituit, sed omnia quasi eodem cibo pasta non potuerunt usque ad senectutem canescere”. (Satyricon (1,2) Petronii)

Ecce autem, ego dum cum ventis litigo, intravit pinacothecam senex canus, exercitati vultus et qui videretur nescio quid magnum promittere, sed cultu non proinde speciosus, ut facile appareret eum <ex> hac nota litterat<or>um esse, quos odisse divites solent. Is ergo ad latus constitit meum.

"Ego, inquit, poeta sum et, ut spero, non humillimi spiritus, si modo coronis aliquid credendum est, quas etiam ad imperitos deferre gratia solet. 'Quare ergo, inquis, tam male vestitus es?' Propter hoc ipsum. Amor ingenii neminem unquam divitem fecit.

(Satyricon – 83 - Petronii - La pinacoteca e l'incontro con Eumolpo (sez. 7 - 9)

*Realismus Petronii et Iuvenalis et Phaedri ex eo apparet, quod affirmant omnia in deterius declinare; ecce exemplum Phaedri:*

Phaedrus – *Demetrius* (V.1.3 sgg.)

Ut mos est vulgi, passim et certatim ruit

“Feliciter!” succlamans. Ipsi principes

illam osculantur, qua sunt oppressi, manum,

tacite gementes tristem fortunae vicem.

Quin etiam resides et sequentes otium,

ne defuisse noceat, repunt ultimo ...

Satura Iuvenalis ( 3 - vv. 137 – 153)

da testem Romae tam sanctum quam fuit hospes  
numinis Idaei, procedat vel Numa vel qui  
servavit trepidam flagranti ex aede Minervam:  
protinus ad censum, de moribus ultima fiet  
quaestio. "quot pascit servos? quot possidet agri  
iugera? quam multa magnaue paropside cenat?"  
quantum quisque sua nummorum servat in arca,  
tantum habet et fidei. iures licet et Samothracum

et nostrorum aras, contemnere fulmina pauper  
 creditur atque deos dis ignoscentibus ipsis.  
 Quid quod materiam praebet causasque iocorum  
 omnibus hic idem, si foeda et scissa lacerna,  
 si toga sordidula est et rupta calceus alter  
 pelle patet, vel si consuto volnere crassum  
 atque recens linum ostendit non una cicatrix?  
 nil habet infelix paupertas durius in se  
 quam quod ridiculos homines facit.

Satura Iuvenalis ( 3 - vv. 60 – 72)

Non possum ferre, Quirites,  
 Graecam urbem. Quamvis quota portio faecis Achaei?  
 iam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes  
 et linguam et mores et cum tibicine chordas  
 obliquas nec non gentilia tympana secum  
 vexit et ad circum iussas prostare puellas.  
 Ite, quibus grata est picta lupa barbara mitra.  
 Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine,  
 et ceromatico fert niceteria collo.  
 Hic alta Sicyone, ast hic Amydone relicta,  
 hic Andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis,  
 Esquillas dictumque petunt a vimine collem,  
 viscera magnarum domuum dominique futuri.

*Rescindi nequeunt verba Iuvenalis (V, 15, 131):*

“Mollissima corda// humano generi dare se natura fatetur,// quae lacrimas dedit.  
 Haec nostri pars optima sensus.”

**Johannes Teresi**

## **Selimus Sarbelius Hage**

### **TITULUS THESEOS PHARMACEUTICAE MODERNAE**

*Studium plantarum Africanarum quae contra senilem dementiae ex traditione adhibentur, super metabolismum peptidi  $\beta$ -amyloidis, morbo Alzheimeri procurantis.*

### **THESEOS SUMMARIUM LATINE SCRIPTUM**

Morbus Alzheimeri (MA) frequentissima inter dementiae causas est, cujus praevaletia non minime crescit cum aetate populorum. Publicae sanitati maxime urget novorum, illum ad incurabilem morbum aptorum, medicaminum indagatio.

MA originem ab neuronum amissione trahit, quae praesentiā duarum neuropathologicarum laesionum, praecipue in hippocampo cerebrique cortice, characterizata est : 1° neurofibrillarum plicarum intracellulare proteinum  $\tau$  sub superphosphorylatā aequae microtubulis dissociatā formā continentium; et 2° extracellularium laminarum, senilium dictarum, polymerisatum  $\beta$ -amyloides peptidum ( $A\beta$ ) continentium. Illud peptidum producitur serie sectionum transmembranacei proteini, APP ( *$A\beta$  precursorium proteinum*) nuncupati, quae  $\beta$ -secretasi et deinde complexo  $\gamma$ -secretasi operantur.  $A\beta$  non solum aggregatur in laminas, synapsim turbantes ac ambigentium neuronum mortem causantes, sed etiam neuronum apoptosim affert cum intra neuronas accumulatur et extra neuronas sub specie solubilium oligomerorum diffunditur. Cujus peptidi, propter praecipuas ejus in pathologiā partes, productionem elegimus ut scopum activis principiis inveniendis attingendum.

Regnum vegetale generosa fons biologice activorum compositorum est, quae armamentarium hominis continue divitius faciunt ; plura quoque publicata vegetalium principiorum activitatem contra morbi Alzheimeri interentes mecanismos referunt. Primo super  $A\beta$  synthesim in CHO-APP cellulis plures extractūs ex novem plantis cribravimus, quae a vicorum medicis in Benino Madagascariāque contra memoriae turbationes ex traditione adhibentur. Activissima

planta *Pterocarpus erinaceus* Poirleti fuit, arbor pranthocyanidinis divitissima. Selegimus, ad altiorem indagationem, *Pterocarpi erinacei* stirpis corticis aquosum extractum necnon ejusdem kino aquosum extractum, qui etiam tanninis eliminatis activus remanebat.

In pluribus cellularibus ac membranaribus systematis ambos extractūs experimentis subjecimus, ad eorum actionis mechanismum determinandum. Ā concentratione proportionatim pendenti modo, ambo extractūs A $\beta$  productionem minuerunt,  $\gamma$ -secretasi operatam APP sectionem inhibendo. Haec inhibitio selectiva existit, quia, in contrario communium  $\gamma$ -secretasis inhibitorum (ut DAPT), *Pterocarpi* extractūs *Notch* proteini sectionem ( $\gamma$ -secretasi operatam) non inhibuerunt, nec AICD ex APP liberatum minuerunt.

Extractūs etiam partitioni subjecti sunt, sed activitas pluribus in partibus reinventa est. Harum analysis partium per chromatographiam massae spectrometriae copulatam (*HPLC-MS* ac *TLC-MS*) plurium phytochymicarum classium praesentiam retexit, e.g. catechicorum derivatorum ac saponinorum. Solum tanninorum monomerum epicatechinum inventum est in cortice kinoque.

Hīc primā vice ē naturali fonte talis APP selectiva  $\gamma$ -secretasim modulans activitas refertur, et primā vice  $\gamma$ -secretasim inhibens activitas per ethnopharmacologiam inventa refertur. Ergo *Pterocarpi erinacei* cortex et kino praediti summā spe videntur ad moleculas contra morbi Alzheimeri amyloidosis activas relegendas.

## ECHUS ET VOCES

22.04.2017 SALIM HAGE (SELIMUS sive SARBELIUS)

**Honoratissime Domine Gross**, Tibi gratias ago propter Epistolam Leoninam quam mihi misisti. Quantum delectamentum menti meae est antiquas linguas ut vivas colendas legere. Jam duos libros a tua industria in Latinum versos anno elapso ab antiquariis emi, nempe Parvus Nicolaus et facinora Baronis Mynchusani. Abs te, Domine, quaerere desidero utrum illius Baronis nomen latinum (Mynchusanus) olim in libris aut in latinis inscriptionibus inveniatur (sive de nobili baronis familia, sive de vastato oppido Munchhausen, cujus nomen illi barones gerunt, sive de aliis oppidis quae nomine Munchhausen signantur), necne. Quando, quaeso, liber "Glossarium Fragrantiae" denuo typis excudetur? Spero quod hinc non multa menda scripsi. Honoratissime Domine, vale !

**Care Selime**, valde gaudeo, quod Latine scribis necnon iam duas versiones mei Latinas legisti. De nomine Mynchusani te certiore faciam: Eius formam non inveni in litteris Latinis traditis, sed ipse finxi secundum usum Latine scribendi et pronuntiandi. Glossarium quando iterum edituri simus, adhuc nescimus. Fortasse proximo anno erit occasio hoc faciendi. Patientiam adhibeas. Sed septimanatim tibi mittam Epistolam Leoninam; ibidem iterum iterumque invenies indices vocabulorum. Iam dudum in votis est magnum Lexicon Leonis Latini; exspecta paulisper... Sed illud Glossarium, quod desideras, spectat ad meam versionem Fragrantiae; hanc tu, quantum scio, nondum legisti. Nonne vis primo emere librum Fragrantiae? Pecunia accepta hunc librum statim tibi mittere poterimus. FRAGRANTIA est versio mei Latina maximo cum labore maximaque cum diligentia confecta. Nam agitur in hoc opusculo de ingenti varietate odorum foetorumve, de incredibili subtilitate verborum. Utinam tibi placeant textus Epistolae Leoninae. Visne tu ipse aliquando nonnulla verba Latina in eodem periodico publicare? Vale pancratice, mi care Selime, et perge nobis favere! Medullitus te salutat LEO LATINUS.

**Care Nicolaë**, et ego quoque valde gaudeo, quod Latine meo anteposito translator scribo. Laboris causa citius tibi respondere non potui. Librum Fragrantiae nunquam legi, et sic quaqua in lingua. Cum Bruxellis in gymnasio anno MMI discipulus eram, magister noster in litteris gallicis nobis hunc librum legendum dedit, et nobis unum capitulum ad finem libri praelegit. Tam immoralem hunc librum inveni, quod, confessario meo approbante (Jesuitarum enim erat gymnasium, sed nullum magistrum clericum habui, et ille magister in litteris gallica erat religioni infensissimus), lectionem libri recusavi. Sic optimum factu pro duobus aliis libris quoque iudicavi. Meritum tuum in hujus libri versione non denegare possum, praesertim ad vocabulorum distinctionem reddendam, sed ad decernendum, utrum librum emo annon, tempus indigeo. Putabam glossarium moribus non tam periculosum esse; propterea glossarium tantum emere volebam. Confessarius meus, qui deinde in Ordinem Divi Benedicti ingressus est, erat membrum Societatis Bollandistarum, quae in gymnasio meo sedem habebat. Medullitus te salutat Selimus Sarbelius (Nomen meum in sacro Baptismate est **Sarbelius**)

**Care Sarbeli**, gratias plurimas pro verbis tuis Latinis. Miror de castitate tua extraordinaria. Esne ipse sacerdos an monachus? Persona libri Fragrantiae praecipua est revera moralitatis experta, potius est monstrum naso excellentissimo praeditum, quale revera omnino non exstat. Insunt multi ioci satirici et allusiones litterariae. Scilicet hunc librum non esse pium, tamen non puto mores tuos Fragrantia lecta depravari posse. Si tu vere probus es, nullo libro corrumparis. Postulasne

novum indicem librorum prohibitorum? Talis res discrepat a spiritu saeculi nostri. Ille index celeberrimus, quantum scio, abolitus est Concilio Vaticano Secundo. Ergo, si tu vere es Christianus sincerus et obduratus, Fragrantiam perleges sine ullo damno;

sed si infirmus es, etiam abstinentia Fragrantiae legendae anima tua non servabitur. Deus te ad nova pascua ducat teque tueatur annis innumeris. Medullitus te salutat LEO LATINUS.

**Care Nicolaë**, non sum sacerdos nec monachus, sed laicus catholicus (ritu sum Melchita), in Libano natus. Pater autem aviae meae paternae erat ibi presbyterus. In ritu nostro byzantino enim lex coelibatus (seu rectius continentiae perfectae) antiquissima\*, Pontificibus Romanis quaedam synodi quinisextae (seu in Trullo) decreta tolerantibus\*\*, in saeculo octavo mitigata est, sed in territorio orientalis imperii tantum (et nunquam pro episcopis ac monachis). \* (Etenim hanc legem Sanctus Epiphanius saec. IV scribens apostolicam vocavit et bis accurate descripsit.) \*\* (Illa synodus Graecorum enim Sedi Apostolicae valde injuriosa fuit, et imperator Justinianus II. bis copias suas Romam misit, ad Pontificum approbationem vi extorquendam, sed in cassum, quia milites in Italia permanenter servientes contra illas copias restiterunt. Notandum est quod illo tempore quinque Romani Pontifices qui illud conciliabulum rejecerunt, ipsi Graeci et Syri erant.) Quale est pretium libri Fragrantia? Discrepat enim pagina interretalis a Littera Leonina. Qui amat periculum, in illo peribit; sic dicit veterum sententia. Quapropter semper tremo librum novum aperiens. Non tantum lasciva mihi displicent, sed etiam blasphemiae, mendacia historica (et descriptio clericorum et societatis in genere in Fragrantia praejudicia repleta est) et errores alii mihi intolerabiles. Index librorum prohibitorum etenim abrogatus est quoad valorem disciplinarem (id est: lege canonica non amplius prohibentur, et censurae non amplius valent\*\*\*), sed non quoad valorem moralem et doctrinalem (id est: libri qui in indice erant, vere perniciosi aut erronei sunt, et lege divina legi non possunt si adest intentio prava). Ratio abrogationis indicis praecipua erat multiplicatio librorum (et aliorum mediocriorum publicorum), quos omnes inspicere Curiae Romanae impossibile est. (\*\*\*) Sic olim ipso facto excommunicabantur omnes talem librum legentes, etiam si ob bonam causam, puta ad errores auctoris contentis refutandos, nisi prius dispensationem specialem ab episcopo obtinuerant.) Libenter aliquid pro Littera Leonina scribam, sicut mihi supra proposuisti, sed solum si tu prius corrigere vis. Supra enim multa menda, proh! in textum meum irrepserunt: - nomen meum, pro: nomen meum, - hìc non multa menda scripsi, pro: hìc multa menda non scripsi, - non denegare possum, pro: denegare non possum. (Debeo tamen addere quod in gymnasio numquam Latine scripsimus, sed tantum latinus textus in gallicam linguam vertebamus, quod mihi multum taedebat. Sine ullo magistro altius ire volebam, e.g. locos ex libris gallicis - praesertim a comitissa de Segur scriptis - in Latinum vertendo.) Tibi summarium theseos meae doctoralis mitto (postquam anno MMVII apothecarius factus sum, ad gradum doctoris anno MMXIII Bruxellis promotus sum). Thesim ipsam gallice angliceque redegi (professores enim non dabantur qui latine facile legebant). Propterea abstractum seu summarium tantum latine scribere potui. Kino, nt. indecl. est exsudatum rubri coloris in aqua solubile, a cortice quarumdam arborum productum. (Sicut Sanguis draconis, a dracaena, qui tamen in aqua insolubilis est). (In libro saeculi XIX latinum verbum Kino inveni, quod sic gallice et theodisce quoque scribitur.) Plicae, [f.pl.](#) Illud vocabulum selegi ad verbum Verflechtungen (gall. enchevêtrements, angl. tangles) vertendum, exemplum "plicae polonicae" (foedissimae capillorum implicationis) sequendo. Dominum quoque precor te ac tuos semper ac ubique custodire. Medullitus te salutat **Selimus Sarbelius**

**Care Sarbeli**, valde vehementerque miror de scientia tua necnon de tuis persuasionibus. Babae! Tu apothecarius sive pharmacopoeus es! Iam pridem mea interest pharmacopolarum terminos technicos colligere et tractare ratione philologa. Occasione nacti certe de hac re fusius disputare poterimus. Pergas, quaeso, Latine scribere. Pro certo habeo Mundum Latinum a te ditificatum iri. Haec hactenus raptim, mox certe plura. FRAGRANTIA nunc constat 42 euronibus. Semper valent pretia in EPISTULA LEONINA novissima indicata. Iamne inspexisti EL 132? Multa insunt Herodotea. Quid tibi videtur de Herodoto? Estne is quoque parum castus parumque pudicus? - Vale pancratice et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus Groß **LEO LATINUS**.

**Care Nicolaë**, De terminis medicinarum et pharmacopolarum libenter te adjuvabo. In Belgica scribuntur formulae medicinarum hodie nunc Latine super capsis medicinarum a achinalibus industriis productarum (addendum tamen est quod illud non semper sine mendis fit). Ab anno MMVI collaborator scientificus et dux voluntarius sum in parvo Museo Bruxellensi Alberti Couvreur (gallice: Musée pharmaceutique Albert Couvreur) de Historia artis medicamentariae, ubi quoque multa de Historia medicaminum didici. Est Mundus Latinus titulus magni dictionarii hodiernae Latinitatis cujus redactionem moliris? Historia Gygis quidem parum pudica est, sed Herodotus illam refert tanquam historicus, ut veritatem historicam lectori tradendam, non ad cogitationes pravas excitandas. Etiam in Sacris Bibliis multa impudica commemorantur, sive ut acta historica quae coelestis ultionis causae fuerunt, sive ad detestationem peccati in lectoris pectore excitandam. Supra scripsi: "sed tantum latinus textus in gallicam linguam vertebamus, quod mihi multum taedebat", quod mendosum erat. An recte est, si sic scribo: "sed tantum latinus textus in gallicam linguam vertebamus, cujus me multum taedebat"? (vel "id cujus me multum taedebat"?). Plura nunc scribere non possum, quia serius est. Tibi gratias agens, quia te legere semper delictum est, medullitus te salutat **Sarbelius**.

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |                                                                   |         |
|-------------------------------------------------------------------|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*



## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	-----	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM TRICESIMAM QUARTAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Dominicâ Pentecostes, 4. m.Iunii, a.2017**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**

**<http://www.leolatinus.de/>**